

Christian Engelke

Meditatio Eucharistica, In Coenae Dominicae Mysterio Apprime Utilis Et Necessaria. Utrùm fides Christiani, corpus & sanguinem Christi in Coenâ verè praesentia credentis, tutior : Num verò, quae coelos transvolare, Christiq[ue] corpus comprehendere conatur, sit firmior. Atq[ue] num fides, si velit, subvolare queat. Fidei & conscientiae tranquillitati inservire iussa à M. Christiano Engelken, Ecclesiae Christi Pastore in Doberan

Rostochi[i]: Pedanus, 1615

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730110230>

Druck Freier  Zugang







T 85:


L A-9


F.g - 1200.


5/a. 5












XXVI. 15.



Meditatio Eucharistica,
IN
COENAE DO-
MINICAE MYSTERIO
APPRIME UTILIS ET
NECESSARIA.


*Virum fides Christiani, corpus &
sanguinem Christi in Canâ verè præsentia creden-
tis, tutior : Num verò, qua caelos transvolare, Chri-
stiq; corpus comprehendere conatur, sit firmior.
Atq; num fides, si velit, subvolare
queat.*

Fidei & conscientiae tranquillitati
inservire iussa

à
M. CHRISTIANO ENGELKEN
Ecclesiae Christi Pastore in
DOBERAN.

Rostochi

Litteris JOACHIMI PEDANI Acad. Typog.
ANNO M. DC. XV.



ILLVSTRISSIMO CELSIS-
SIMO QUE PRINCIPI ET DOMINO

Domino

ADOLPHO FRIDERICO,

Duci Megapolitano, Principi vetustæ
gentis Henetæ, Comiti Suerinensi, Domino Ro-
stochij & Stargardij, Domino suo
clementissimo.

Illustrissime Princeps ac Domi-
ne, Domine Clementissime, Co-
gitanti mihi de ratione, quâ
clementissimum, Celsitudinis
Tua favorem mihi conciliatum conserva-
rem, tum ejus, quod submisit impetrare sa-
tango, renovandi medium invenirem, offi-
cio meo convenientius haud aliud sese ob-
tulit, quam hæc seculo nostro, variè agi-
tata de Cœnâ dominicâ meditatio; Num
scilicet realem in eâ corporis ac sanguinis
Domini præsentiam credentes, num verò
in panis & vini symbolis significationem.

A 2

inqui-

inquirentes, tutiores sibi sint, Christosq; ser-
vatori acceptiores. Hanc, si non alijs, mihi
tamen & cuivis piè meditati volui per-
tractare, materiam sanè gravitate ma-
xima, pondere non mediocri, sanctimonia
summâ refertissimam, & cum primis hac
atate nostrâ dignam. Quasi amplitudine
& dignitate ceteras Theologia partes non
exuperat, equâ tamen cum illis autoritate,
consideranda venit. Eam ad sacri verbi
amussim perpendere aggredior, non nescius
tenuitatis & infirmitatis meae. Verùm quod
in me exile & exiguum est, id veneranda
verbi divini compensabit autoritas. In di-
cendo, non quantum acutiores forsan à me
requirerent, sed quantum potui, meditatio-
nis studijq; posui: perspicuo & plano dicendi
charactere utor, cū res sacra sit sacris dicen-
da verbis. Proindè in hoc sublimi negotio,
nimirum in Filij DEI testamento, nulli rei
tutius, quam divino dogmati inbarendum
esse, qui vis mecum perspicit. Non enim
de qua-

de questionibus otiosis, non de genealogijs
indefinitis sed de Filij DEI Salvatoris nostri
Testamento certamen & lis est. Quod si
vel ipsi Jureconsulti suadent, in dubio tu-
tius esse non recedere à verbis, sed iisdem
tenaciter inherere sine extraneâ interpre-
tatione, magisq; verba esse ponderanda,
quam mentem imaginariam & incertam:
siquidem non sit credendum, testatorem
aliud, quam quod verbis expressit, vo-
luisse. Contrarium enim si voluisset, ex-
planandi nulla fuisset difficultas. Et verò,
si hinc sapius, qui nimia subtilitate in men-
ta Testatoris conjecturandâ sunt usi, er-
rasse deprehendantur, quis sanè Christia-
nus, à verborum Testamenti rigore, levi-
ter ac temerè recedendum esse statuet? Qua
cura dum in rebus politicis habetur, major
in gravissimis serijsq; DEI rebus erit ha-
benda. Verum nemo fermè satis sibi inge-
niosus esse videtur, si non aliquid contra
propriam nativamq; verborum Christi sim-

plicitatem excogitare possit, ausitq; tenta-
re. Sed unde omnis subtilitas, quam
quilibet sibi scrutatur, nisi ex rationis prin-
cipijs, ex natura cognita legibus? Inde
^{re. tinea} & probationes ad hoc momentum
afferre satagunt, atq; ideò, Athanasio teste,
Christi carnem ^{re. tinea} in sua quantitate
& proprietate dimetiuntur. Summatim
Quantum & Quomodo huic mysterio in-
gerunt: cum tamen nec syllaba de quan-
titate, nec apex de modo extet: Rem
Christus dixit, modum addere noluit:
Rem itaq; dum acutiores perpendunt,
modum quoq; investigare conantur: quem
si non inveniunt, nec rem ipsam sunt con-
cessuri. Quam bellè igitur inter Rem
ejusq; discernant Modum, ipsi viderint.
Rem ipsam si in pluribus alijs, ubi claram
verbi patefactionem sequi necesse est, con-
cedimus, modo omnipotentiae divinae con-
cesso, cur neq; hic, ubi idem dominus volun-
tatem patefecit? Hic quivis mentem di-
cat.

cat, oportet, hinc quid sentiat, explanet!
Quod dum pie declarationis meditationisq;
gratiâ facio, audere id non dubitavi, quod
alioquin meâ sponte non facile suscepissem,
tum tenuitate ac vilitate mea prohibente,
tum censorum acribus judicijs ac fastidio
seculi nostri deterrente: feci autem eò lu-
bentius, cum hanc considerationem meam
Facultatis Theologica in Academiâ Rosto-
chiensi, consensu, aliorumq; doctissimorum
calculo viderim approbatam, cumq; præter
id non defuerint honesta & pia autoritatis
viri, qui hanc opellam meam communican-
dam & in vulgus edendam censerent, meq;
ut id curarem, suaviter hortarentur, in
testimonium scilicet purioris Doctrinae huc-
usq; in Illustrissima Celsitudinis Tuæ Du-
catu Dei beneficio propagatæ & declaratæ.
Quam eandem, quod DEUS faxit & con-
firmet, constanti Celsitudinis Tuæ volun-
tate ope & promotione, ulterius propagan-
dam conservandamq; speramus. Attestatur

tur id Celsitudo Tua non minus nervose
quam graviter, præclarâ hac Symboli voce:
DEUM curo & populum. Vox sanè pia,
Christiano Principe digna! Quam serio n.
C. T. errores, qui in articulis & mysterijs,
ex rationis judicio fundamenta saltem hau-
riunt, detestetur, Christum verò Servato-
rem suum in promissis veracem & omnipo-
tentem voce ac mente veneretur, ex mul-
torum testimonijs, istud nuncium & gau-
dium jampridem percepimus. Sic nobis
spem facit non modò Celsit. Tua pia volun-
tas & constantia, sed cum nec eidem desint
fideles Parastata & Consiliarij; quorum
quidam Celsitudini Tuæ sunt intimi, viri
prudentiâ & rerum Theologicarum cog-
nitione insignes: atq; alij in Religionis nostræ
confessione cordati & constantes. Eo com-
plexu, quos benevolè intellectos velim, faci-
lè mecum, qui Celsitudinis Tuæ Aulam co-
minus norunt & eminus, animadvertent.
Atq; hoc nomine confido & dictioni minus
elabo.



elaborata ab ijs, qui hac fortè legent, veniam
datum iri: Et hanc dedicationem meam
Illustrissimæ Celsitudini Tuae gratam acce-
ptamq; futuram. Neq; aberit adeò, Domi-
no volente, si hæc meditationem quibusdam
gratam esse videro, quin alia de aeterna præ-
destinatione siue Electione piè consideranda,
suo tempore, ubi otium huic loco congruens
nactus fuero, sit subsequutura.

Accipe igitur, Illustrissime Princeps ac
Domine, animo quo favere soles, clemen-
tissimo mei in Celsitudinem Tuam animi
submissi ^{ac} monumentum. Quod dū
feri confidam, Deum per Salvatorem no-
strum oro, ut Cels. T. cum his, quos fideles Et
charos habet, diutissimè seruet incolumem,
eamq; regat Et confirmet ad omne opus bo-
num, ac omni benedictionum genere exor-
net cumulatisimè. Doberano, 1. Martij
Anno reparata salutis 1615.

Illustrissimæ Celsitudinis T.
subjectissimus
M. CHRISTIANUS ENGELKE.


B

Augu-




Augustinus lib. 2. de Civitate Dei.

Qui secundum DEUM
sapiunt, omnium, quæ
incredibilia videntur homi-
nibus, & tamen scripturis san-
ctis continentur, maximum
argumentum tenent VERA-
CEM DEI OMNIPOTEN-
TIAM.



Si, quod



I, quod comperimus, sapientiores hujus seculi, in consilijs ac rebus arduis, sua cogitata & facta eò dirigant unice, ut extra periculum à parte consultant tutiore & tranquillitate fruamur: id sane decus sapientiæ, singulos veræ pietatis ac fidei amantes, in articulis sublimioribus, à varijs variè acceptatis & intellectis, imitari conveniet, ut semitam verbi, fideiq; analogiam sectentur veriore. Hanc si cum primis in divino Eucharistiæ mysterio, (cæteros hîc articulos taceo) inquirat atq; observet Christianus, operæ-precium nomine suo fecerit dignissimum. Quam varias enim ac multiplices sacrosancta cœnæ verba, contentiones multis pro dolor, seculis sustinuerint, cum gemitu hucusque observavit Ecclesia, talem eventum experta, ut, quod ardenti affectu, quod gemitibus maximè serijs à Filio Dei testatore Ecclesiæ suæ traditum, quod veræ conjunctionis ac mutæ dilectionis vinculum esse debebat, tot tantorumq; (credo, malo genio autore) dissidiorum ac certaminum extiterit materies, ac principium, ut neque adhuc vera læta ac salutaris tragœdiæ hujus appareat catastrophe.

Etenim, statim atq; Apostoli obierunt, Divo vi

B 2

vente

vente Ignatio, Hæretici exorti sunt, qui de carnis Christi præsentia controversiam moverunt, quæ ipsa pestifero gradu ad posteros latius serpsit, ut gentiles Iustini ætate, cœnam externæ duntaxat professionis signum ac tesseram indigitare; Schismatici verò contra Irenæum, de Eucharistiâ duabus terrenâ ac cœlesti, rebus constante, perperam sentire cæperint. Post Tertullianus, Ethnicorum, qui Ecclesiæ Christi Scythicam lanienam carnis & Cyclopicam ingurgitationem sanguinis temerè affingebant, crasitium damnavit. Clementis Alexandrini erroneam expositionem de duplici Domini sanguine, altero naturali in cruce effuso, altero spirituali in cœnâ præsentem, ex Scholâ Philosophicâ natam, (quæ offensa scilicet supernaturali præsentia & exhibitionis mysterio, allegoriam quæsitivam, primis tamen Ecclesiæ doctoribus ignotam) Chrysostomus postea & Cyrillus, vero opposito sensu, resciderunt. Postmodum tempore Damasceni, cum essent, qui modos loquendi (per figuras, typos & signa) vetustioribus sano sensu usitatos ad negationem veræ præsentia præsumerent detorque, locutiones istæ à patribus partim illustratæ, partim repudiatæ fuerunt. Quæ tamen certamina de figurata interpretatione Damasceni ætate mota, sub Theophylacto acius, quam antè, recruderunt. Unde vehementiâ potius, quam prudentiâ factum, ut, qui contra figuras & typos tenacius veritatem conabantur asserere, in *μεταμοίωσις* seu Transubstantiationem incidere. Utrosq; plus justo exorbitantes subsequens Paschasius aliq; sinceriores correxerunt. Se-
culo

culo pòst controversia Sacramentaria multo vehe-
mentius per Beringarium Gallum renovata, atq; à
posterioribus fanaticis recepta ad nostrum usq; secu-
lum transcendit: qui idem error & jamdudum à Ca-
rolostadio, Cinglio, Oecolampadio susceptus est, &
num hodiè à discipulis in ludo Præceptorum edoctis,
mordicus retinetur ac defensatur. Caroloostadius
quippè gloriæ & vindictæ in D. Lutherum cupidus,
præcipuum absentia veri corporis Christi, argumen-
tū in particulâ *in d. an. h. n.* seu demonstrativâ (H O C)
quæsiuit. Hunc securus est Cinglius, qui, ubi diu in
recessu apud se monstrum Sacramentariæ opinionis
aluerat, animadvertens, plerosq; nimis durâ præce-
ptoris expositione deterreri, cogitavit, qua ratione,
quove magis plausibili colore, explosam ferè fabulam
in theatrum reduceret, atq; ideò voce & scriptis, in
Cœnæ verbis, copulam E S T, pro significat, expo-
nendam esse nugatus est. Quod dogma licet applau-
sor & Sýnagonites Oecolampadius pro concione
sæpius tutaretur, subveritus tamen, ne Cinglij auto-
ritas tam periculoso certamini, apud exteros præci-
puè non satisfaceret: statim eruditiùs splendidiùsq;
tragœdiam istam adornat, Corpus in verbis cœnæ,
non pro substantiâ præsentis sed figurâ absentis cor-
poris accipiendum esse contendens. Qui à D. D.
Luthero licet acriter sit refutatus, non tamen non sa-
cramentariæ opinionis veneno alios aspersit, quo im-
buti, quidam à præceptorum expositione toti depen-
derunt, quidam dubij & fluctuantes, modò ordinem
verborum invertendo, modò contextum dilcerpen-

do, à simplice intellectu diversè aberrarunt. Quæ sanè omnium, circa eandem causam inconstantia & disparitas, firmum ac tutum, simplici & plano verborum intellectui retinendo, præbet argumentum. Nihilò verò secius eadem isthæc ab hodiernis contra nos crambe recoquitur, fovetur, apponitur.

Proinde ex quæstionibus cum multis tum varijs, quæ in certamine Sacramentario inter nos & Adversarios, hodiè moventur, quin isthæc, de verâ ac substantiali veri corporis & veri sanguinis D. N. I. C. in Synaxi præsentia, multis jam annis agitata, singularis momenti sit, nemini jam ignotum esse duxerim. Zuingliani namq; Doctores, *πρωσίαν* & realem corporis & sanguinis dominici dispensationem inficiando, *ἀπιστίας* errorem comminiscuntur: nobis contrariam de verâ præsentia sententiam asserentibus. Offerunt se hîc cohortis Sacramentariæ dispersitæ phalanges: altera aperto Marte & rustico candore nos adoritur, & perspicuè verbis, quod corde sentit, profitetur, sacramq; Eucharistiam adeò usq; extenuat, ut pro externo duntaxat Dilectionis & *φιλαδελφίας* Symbolo, quo Christiani à Judæis ac Turcis discernantur, habeat, hac ratione præter panis & vini præsentiam ne hilum quidem relinquens. Altera phalanx, quavis vulpeculâ versutior, omnium nocentissima est, & in declinando statu *κρησφύρετα* & effugia quaerit. Ex parte ipsdem verbis, quibus nos, de verâ veri substantialis ac vivi corporis & sanguinis dominici præsentia speciosè admodum utitur. At ubi paulò accuratius ad examen fucatae & flexiloquæ sententia

tia

tiæ devenitur, vel per *κρινώνας τῶν ιδιωμάτων* id fieri subdolè asserit, καὶ ἀντιφρασίην eam intelligendo, quæ verborum sit *κρινώνας*, reipsa ἀκρινώνοια; aut de præsentia *χερική* seu relativâ ac spirituali, quæ fide fit, frivole interpretatur. Hæc adversæ partis sententia multos torquet, multos in dubio relinquit. Quocirca partem egomet tutiorem, conscientiæq; tranquillitatem quaesiturus, id propono:

Utrum scilicet fides hominis Christiani, in cœnæ actione, corpus ac sanguinem Christi verè ac substantialiter præsentia credentis, tutior; Utrum verò, quæ cœlos transvolare, Christiq; corpus comprehendere conatur, sit firmior? Atq; num fides, si conetur, subvolare queat?

Sic utiq; propono, propositamq; si minus eò, quo par est studio omnibus; mihi tamen excutio: alijs ulterius excutiendam benevolè relinquens.

Cogito equidem thesios prioris affirmantem secuturus, quod animus cujusvis in rebus probandis, cum ad Rei veritatem, tum ad Modum ejusdem respiciat, utriusq; rationes investiget: re quippè posita, mens modum inquirat: En, animi fideiq; oculos adverte, dabo consimiles: Prior, CHRISTI erit in verbis. Veritas: altera, infinita omnipotentiae majestas. Cui statim parti, assertionis de fide supra astra transvolante, subjungetur infirmitas.

Nemo Christianus est, quin augustam ac religiosam veneretur verbi divini dignitatem; cui refragari ac reluctari adeò nefas esse, Augustinus dixit, ac si contra rationem sanus, contra Ecclesiam pacificus, contra

Contra conscientiam probus vel dicere vel facere praesumat. Neque verò profanorum profanae historiae, non lepidae poetarum fabulae, tanti & tam ardui de cæna Christi, dogmatis, sed verbum Christi veracis & omnipotentis, sapientiae & virtutis patris, firmissimum fundamentum est, non privati arbitrii, ac interpretationis, sed quod ex propria & nativâ suâ, sede, ubi καθ' αὐτὴν πρῶτος traditur explicandum: quodque non ἀδυσίατις humanæ rationis, nec ἀντιθέσει καὶ ἀντινομίαις φαρισσαίαις evertitur, sed ad cuius intuitum ratio nostra & omnis cogitatio, inobsequium Christi captiva est ducenda, & quod solum pater æternus, cœlitus demandavit audiendum. Quanto igitur cum conscientiae vulnere & periculo salutis conjunctum sit, in cæna Dominicæ verbis, quæ ratum ac firmum, non hominis, sed Filij DEI testamentum condunt, lusum ac palæstram ingenij, varijs excogitandis interpretationibus exercere, posthabitâ genuinâ proprietate, perpendant, qui Domini verba in eo ordine collocanda esse non modò existiment, sed temerè alijs ausint persuadere, ut, sicut in scripturis quædam vel ignorata, vel variè explicata, vel etiam non rectè intellecta, minus intelligenti nocent; ita & hæc fidei & saluti nihil officiant. O temeritatem detestandam, ô levitatem Christiano homine indignam!

I. Quod si hominis Testamentum eam adhibet curam, ut eò loci cumprimis, ubi specietenus bona legata designat, verba ponat perspicua & plana, mentem testatoris dilucide declarantia, quæ adeò sacrosancta etiam leges politicæ esse jubent, vel à nativo

tivo

tivo sensu recedere, aut nefas esse ducant, aut ab eodem desciscentes, omni hæreditate ex testamento delatâ, dignè privari statuant: Quidni Christus ipse æternus æterni patris filius, in suo testamento eò dilucidius locutus existimetur? quod præter dispositionem ultimæ voluntatis, novum insuper in Ecclesiâ, dogma erat traditurus, non inscius dissidiorum, quæ de hoc negotio erant exortura: cum tamen nullus sit paterfamilias vel tam improvidus, vel tam invidus, qui non planâ & quam fieri potest, dilucidissimâ expositione voluntatis suæ, cupiat hæredum suorum dissidia præcavere & antevertere. Et miraculi sit simile, quod instituentis Christi verba in præcedentibus & sequentibus tam clara sint, tamq; perspicua: circa eâ verò, in quibus cardo negotij vertitur, quæ & ad designationem bonorum pertinent, & propter quæ universa ista actio instituta est: tam locutus obscure, tam ambiguè dominus noster existimetur! Quin enim hæc: quod panem edendum dederit, vinum bibendum porrexerit; perspicua sint: quin & hæc; quod pro vobis datur; qui pro vobis effunditur; quodq; de commemoratione additur, itidem sint planissima, quis non videt? At verò, ubi Christus caput rei aggreditur, ibi demum tantâ scilicet verborum ambiguitate ac prædicatione tali usus putabitur, cujus nec in scripturis, nec in probatis autoribus reperiatu similis? Utrum igitur tutior, vel simplex Testamenti sensus, vel sublimior interpretatio nis inquisitio? San è dicta Testamenti lex potentissimè evincit, utraq; manu retinendam esse eam Filij

C

DEI

DEI sententiam, quam verba ipsa nobis, citra ullam
ambiguitatem promunt: Memores simus gravissi-
mæ adhortationis paulinæ: Hominis testamentum,
si sit comprobatum, nemo reñcit, aut addit aliquid.
Quorsum igitur fides evagetur, cum quod promittit,
in seipso contineat Testamentum? Cyprianus sanè,
quæ cura, quaq; religione, piæ menti sit providendum
monstrat; ne in tractatione horum verborum, indi-
gnationem incurramus ejus, qui his verbis testamen-
tum suum de legatis salutis nostræ condidit, addita
interminatione judicij & reatus, si quis aliter, quam
ipse voluit & constituit, mysteria illa dñudiet & tra-
ctet. *Valent verba hominis mortui, (inquit Augustinus)
jacentis sine sensu in monumento. Sedet Christus in cælo &
contradicitur ejus testamento! Non sine Testamento dimisit
nos pater; Qui fecit testamentum, vivit in æternum, au-
dit voces nostras, agnoscit suam; Legamus: quid litiga-
mus: ubi inventa fuerit hæreditas, ipsam teneamus.*

Ab sit ergò, ut extra veram hujus testamenti se-
dem aliunde pro arbitrio quæ sita, in hoc negotium
violenter & figuratè intrudamus: Ut enim à simpli-
ci ad sensum tropicum & peregrinum discedamus,
nulla sanè necessitas, nulla textus absurditas, nulla
realis cum fidei atticulis contrarietas deposcit & ef-
flagitat: quin potius ad genuinum *ἡ ἀλήθεια*, sen-
sum retinendum firmissimis ac prorsus *ἀλύπτis* ratio-
nibus permovemur, dum à scripturâ recedere, per se
nefas sit, nec *ὑπερβαίνοντα* sublimiorq; interpretatio eo
ipso vel alio, ubi de eadem re agitur, loco sit addita:
patet sanè, si ad institutionem Sacramentorum, vete-
ris Te

ris Testamenti respiciamus, quod verba ibidem fuerint propria, atq; propriè, ut sonant, intellecta. Sic enim mandatum Dei de Circumcisionis Sacramento Abraham intellexit, non figuratè de spiritali cordis secundum *Δόξιας*, sed de reali carnis circumcisione secundum literam: etiamsi hæc stolidi nimis & absurda rationi fuerit visa. Sic mandatum de filio immolando secundum literam absq; ulla sublimiore indagatone intellexit, efficiendumq; attentavit. Sic neque hujus sacramenti verba, ullum vel allegoriæ vel parabolæ respectum indigitabunt.

II. Tanta alioquin unanimis Scriptorum cœnæ *συμφωνία*, tamque mirificus in referendo præcipuo rei capite consensus neutiquam foret. Etenim singuli tanquam fortissimi & periti duces belli, in primâ Ecclesiæ acie collocati, consentientibus vocibus & phrasibus ab ipso Christo usurpatis, non secus atq; perpetuo clypeo ita muniunt Ecclesiæ latera, ne venenata sophismatum spicula in Domini exercitum usquam penetrare queant, nec ullius cor ferire, nisi eum, qui temeraria audacia latus suum nudarit, atq; fidelissimis parastatis relictis, spontè se hostium telis exposuerit. Fatentur singuli, suum non esse inventum vel institutum, sed autorem Filium Dei monstrant, ut cognitâ tantâ maiestate, omni dubitatione sepositâ, & absque omni offensione, verbis fidem habeamus. Utuntur singuli iisdem verbis & phrasibus, ne vel obscuritas dubitationi, vel diversitas errori anam præberet. Affirmant itidem atq; in hoc conveniunt, Christum accepto pane dixisse: Edite, Hoc

est corpus meum: acceptoq; calice: Hic est sanguis
Novi testamenti: Si declaratione, si intellectu alio
fuisse opus, vel unus interpretis munus suscepisset.

Videmus Spiritum Sanctum in Evangelistarum
historiâ, eâ providentiâ nostræ consuluisse infirmitati,
ut quod ab alio per figuram obscurius est dictum,
in alio dicatur planius. Sit exemplo: Cum Lucas
dixisset, historiam sanati dæmoniaci enarrans; Christum
digito DEI expellere dæmonia, accedit Matthæus
interpres, qui ista Phrasi Spiritum Sanctum ostendit
significari: aut ipsimet Apostoli sua plerumq;
verba interpretantur. At in hæc gravissimæ rei
commemoratione, quam sciebant universæ Ecclesiæ
admirationi fore, iidem penè syllabis verba enumerant.
Quis proinde tam flagitiose audax, quis adeo temerarius
erit, ut sibi in tam arcanâ re declarandâ plus arroget
auctoritatis, quam Apostoli usurparint, quamq; Christus
concesserit? Siquidem quid aliud hoc foret, quam
Apostolos nimæ stoliditatis insimulare, & sese
testamenti à Christo conditi magistrum & emendatorem
efferre? A quo scelere, quo quis magis abhorret, tanto
firmitus, ipsis Apostolorum verbis, sibi inhærendum
esse statuet. Neq; verò à Synecdoche, si qua inest,
ad Metonymicam statim interpretationem nos patiemur
abduci, cum illa rem, quam hæc pervertit, dilucidius
præsentem declarat. Atq; verò si qua in historicâ
narratione appareat *ὀμολογία*, Metathesin partium
historiæ, minimè verò ipsas vocum significationes
conectnit, salva perpetuo

tuò manente isthâc solemnî formulâ, quam Evange-
listæ non suis, sed îisdem Christi verbis referunt; de
cujus genuina intelligentiâ inter nos & quosvis dis-
sentientes, non de historîæ circumstantiis, discepta-
tionis statum ponimus. In hâc formulâ Metonymi-
am regnare, cujus facultate verba de proprio in sen-
sum deturbentur allegoricum, intrepidè pernegamus.
Permovet nos præter alia D. Hyeronimi regula, qui
ex solis figuris & allegoriis dogmata nec constitui
nec comprobari posse, dixit, sed hoc requiri, ut, si
probabunt, verbis content propriis, & utilitatis pro-
ferantur suaq; sede depromantur, ut *ἀληθοφoρεια* fidei
certum habeat ac solidum fundamentum. Cæterum,
si dogma de cœnâ in verbis institutionis tantum, neq;
alibi traditum & fundatum esse debet; & tamen
necessario sublimiôr in îisdem tropus dominabitur;
quâ, quæso ratione, Testamento suâ constabit genu-
ina sedes & veritas? Si verò, Irenæo duce, una & cer-
ta in articulis fidei sententia, dubiis variisq; opinionî-
bus & commentis sit præferenda, atq; ea *τῶ ἐπιτῶ* &
ipsi litteræ tenori solidius, quam illis insit; quâ tran-
quillitate fidei, quâ conscientiâ, fluctuantium varie-
que tropum inquirentium dubiæ opinionî erit adhæ-
rendum? Quibus *πολυεφαλταις* & ambiguitatibus,
quantum simplex præstet intellectus, Christianus
perpendit. Absurda non dixerim, in quæ, qui sim-
plicem intellectum negant, suâ sponte incurrunt:
Etenim, si nec verè nec realiter in cœnâ Christus
adeit, nec *ὄτως* corpus exhibet, ludificavit Aposto-
los & nos hodiè, figuram exhibens & corpus nomi-

nans. Neque attigerim, si nudus saltem panis, seu
signum & *μνημόσυον* in sacra actione exhibeatur, fo-
re omninò, ut nihil ab alijs cœnis & symposijs diffe-
rat; quinimò discrimen veteris & Novi testamenti,
quod Apostolus collatione *σικιάς* & *εἰκόνος* nobis
monstrat, tollatur.

III. Evidentia hæc fidei fundamenta! sed quod
ipfius Christi exegetis & declaratio præbet, multò e-
videntius & firmitus ejusq; generis est, ut, nisi divi-
nos cœnæ Dominicæ scriptores, imò nisi ipsammet
patris sapientiam, DEI filium, stulticiæ & manifesti
mendacij ausis accusare, fatearis necessum est, Cor-
pus non solum in certo cœli spacio non detineri, sed
verè & substantialiter in cœnâ adesse & præberi.
Christus siquidem, de quo corpore, de quo sangui-
ne pronunciet, ipsemet interpretationem addit, non
de corporis symbolo, non de Ecclesiâ (quæ & Chri-
sti corpus est) sed de eo, quod ex Mariâ genitrice na-
tum, quod pro nobis traditum, crucifixum & mor-
tuum est, & de eo sanguine, qui in remissionem pec-
catorum effusus est. Quis igitur jam dubitationis
locus? cum Christus ipse mentem suam explicarit,
nativam verborum sententiam exposuerit? nisi quòd,
qui negant, in meridianâ luce pertinaciter oculos
claudunt, & quod videre nolunt, calumniantur den-
sâ tectum esse caligine. Obtenditur; non corpus, sed
figuram signumve ejusdem nobis dari: Respondeo,
Ergonè figura corporis pro nobis passa, pro nobis in
mortem tradita est? Si Calvinus, quod sentit, huc fe-
rat; is, non corporis substantiam, sed fructum & effi-
cacia

caciam in cœnâ nobis communicari, dixerit. Verùm, adverte mecum, indè sequetur, non corpus sed virtutem, non sanguinem sed efficaciam, vel si mavis spiritum Christi in cruce, pependisse atq; esse effusum! Quis non videt, quò nos abducat Philosophia, cum eam potius magutram religionis sequamur, quam claram Dei vocem? Contendet hic Zvinglianus vehementer (intelligit enim, se hoc loco omni præsidio sophismatum destitui) neque si aliud est, quod dicat, saltem, ne tacendo causâ turpiter cecidisse videatur, vociferabitur: Imò & nos de eodem corpore, quod in cruce pependit, loquimur, Cur igitur hujus corporis substantiam in cœna adesse negatis? cur solum fide spiritualiter fructum passionis Christi percipi contenditis? Itanè Sycophantijs in tantâ causâ luditis? Constat Christum in manus sumsisse panem, & de pane discipulis porrecto affirmasse: Hoc est corpus meum. Quod, si jam pane dato, non verum Christi corpus, sed tantum symbolum ac signum absentis, ejusve efficacia exhibetur: necessario (quod tamen effugere nobiscum homines volunt) sequetur, Christum non verè suo corpore passum, sed sicut Marcionitæ & Manichæi mentiebantur, spectro quodam nos ludificasse: Haud abest, errore hoc concessio, quin totam hominis Christi naturam hæc opinio sustulerit. Fœcundus hic error est, nec unquam solus.

Cæterum, ne adeò rusticè cum Manichæis sentire videantur, pro socijs tutelam Bullingerus suscipit, carnem & sanguinem Christo naturalem concedens, spirituale verò ac mysticum in cœnâ adesse dictitans.

Duplex

Duplex Christo corpus affingit, alterum naturale cœlo inclusum, alterum spirituale in cœnâ præsens: intelligit homo, substantiam absentis dari, cum per fidem Christus totus fit noster; ut si tibi ager detur procul remotus. Hic verè agri substantiam dari dicimus, quod de jure intelligitur. Ecquis tandem *κεν τὸ ὄρα* varia, eaq; inania effugia non animadverteret? Itatum causæ qui diligentius attendit, facile, quorsum intempestivæ reclamaciones istæ sint abducturæ, videt. Turbari nos haud patiemur. Ζήτησις seu quæstionis cardo est, non de fructu passionis, non de cœnæ usu: sed de verâ veri corporis Christi præsentia, deq; vero pronunciatu Christi intellectu. In hac controversiâ, nullius hominis nec angeli persuasionem sequamur, Filium Dei cœnæ suæ fundatorem, patre cœlitus mandante, audiamus: Etenim,

Optimus interpret verborum quisq; suorum.

Is verò inquit: Hoc est corpus meum, de pane pronuncians: At quale Christi, cogitas; symbolicumne, myiticum corpus seu Ecclesia? A Christo ipso met, age, quæras; is disertè & perspicuè, is clarè; Hoc est corpus meum, inquit, quod pro vobis datur; Hic est sanguis meus, qui pro vobis effunditur. Quæ enim foret absurditas, rei vivæ atq; intelligentis actionem & efficaciam inani umbræ, imaginiq; rationis experti tribuere? Ut, si quis Alexandri Magni imaginem vel statuam daret tibi, dicesnè, te Alexandrum, qui Darium Regem Persicum vicit, accepisse? Vivus enim Alexander, non statua vitæ experts, Persicum fudit exercitum. Ita vivæ rei atq; intelligentis actionem

nem

nem & beneficium exprimit Christus, cum inquit: quod pro vobis datur; qui sanguis effunditur. Hic cum mentionem faciat crucifixionis, effusionis, earumq; proprietatum, quas vivum & substantiale corpus & sanguis sustinuit: quasq; symbolico seu allegorico corpori tribuere jocus sit, manifestum evadit, verba Christi nec typicè, nec metonymicè, sed substantialiter, & verè de ipsissimâ essentiâ esse intelligenda. Cum Cyrillo meditemur: cum Christus ipse sic affirmet & dicat de pane; Hoc est corpus meum, quis deinceps audebit dubitare; atq; eodem affirmante & dicente; Hic est sanguis meus, quis præsumet ambigere, non esse illius sanguinem?

III. Dilucidam hanc Christi Servatoris exegetin, dilucidiorē reddit Lucas in posteriori Eucharistiæ membro: τὸ πὸ τὸ ποτήριον ἢ καινὴ Διαθήκη ἐν τῷ αἵματι μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον: Certè vocem, ἐκχυνόμενον non ad præcedens (ἐν τῷ αἵματι) sed τὸ ποτήριον plano atq; grammatico sensu refert, certâ declaratione ostensurus, potionem illam, quæ ex poculo ore bibenda exhibetur, nobilissimâ sui parte, esse ipsummet Christi sanguinem: siquidem, si poculo solum vinum præberetur bibendum, quâ quæso ratione de eo posset prædicari, quod in remissionem peccatorum pro nobis effunderetur? Hæc quippè effusio, quæ pro nobis facta est, non nisi precioso sanguini D. N. I. C. competit: & tamen Lucas τὸ ποτήριον ἐκχυνόμενον dicit, veritatem sanguinis in poculo præsentis, certò demonstrans. Piè hanc expositionem sequitur Gregorius dum scribit: Christus dixit:

D

Hic est

Hic est sanguis meus, qui effundetur, non alius iste & alius ille, sed unus idemq; & iste & ille: cras igitur fundetur ex hoc meo latere, quem vos modò bibitis ex calice. Argumentum sanè evidens, ut dum Beza adversus tam validum ictum, deploratæ suæ causæ nihil roboris invenit, potius verbis Lucæ Solæcium erroremq; grammaticum affingat, quam ut eadem, imò ipsi Spiritui sancto, alioquin in Evangelio & actis, perfecto stili tenore sibi constanti, assentiat. Utri num plus fidei, Christone Sapientiæ cœlesti, patris æterni filio; an Zvinglianis philosophis sis adhuc biturus, tecum perpendito, deliberato? Intendat hîc quisvis omnes ingenij vires, conferat huc omnes artes: nihil tamen sub ulla specie veritatis, adversus hanc tam claram, tam illustrem, tam evidentem rationem attulerit. Et si volet, vafriciem cum impudentiâ, absurditates cum verbo misceat; hîc tamen gradum figamus, hoc telo hostem urgeamus, respondeat ad hanc interpretationem, non à nobis fictam, sed à Christo traditam, quo duce certam nobis victoriæ palmam pollicemur.

V. Claritate hujus exegeteos pia & orthodoxa Antiquitas inde abignatio (qui Eucharistiam definiunt ipsam carnem Christi) ad Bernhardum usq; , nobiscum consentientibus verbis & vocibus, in sacrâ cœnâ veram essentialis corporis & sanguinis domini præsentiam hîc in terris & militante Ecclesia credidit & confessa est; ἀπιστία verò detestata. Notanter enim Augustinus, Hoc percipitur, ait, in pane, quod pendit in cruce; hoc percipitur in vino, quod effu-

effusum est de Christi latere. Cui scite Ambrosius suffragatur: Quæ fuerunt in utero virginis, illa eadem inveniuntur in sacramento. Proinde juxta ipsius Christi verba, vera ejus caro, quæ crucifixa sepulta & resuscitata est, verusq; sanguinis Christi, qui plebem redemit, in Eucharistia sumitur. Hunc Orthodoxorum consensum qui denegare, aut contrarijs divellere conantur, ij aut ex verbis patrum, quæ nec sacramentalem, sed internam fidei manducationem innuunt, aut Capernaiticam lanienam refutant, aut *ως εν παρόδω* & obiter Eucharistiæ mentionem indigitant, concisè & subdolè citatis facere præsumunt.

Tantæ verborum claritati, Evangelistarum perspicuitati qui reluctatur, quiq; humanæ rationis judicio deceptus *ἀπερίαν* objicit, cujusmodi quæso *παραναλογία* & persuasionis fundamentum, cujus fidei basin monstrabit? certè nonnisi Rationis obstrepentis dictamen, scilicet, naturæ ordinem objiciet. Cæterum in scientiarum cognitione constat nihil esse decantatius, quam ut certa in suâ arte & quærantur, & quæsitâ rebus probandis adhibeantur principia: turpe enim est, teste etiam philosopho, *μεταβαίνειν εἰς ἄλλο γινώσκον*. Item: Artium principia non sunt confundenda. Verùm hypotheseos hujus, de corpore Christi in Cœna præsentem, originem scimus esse theologicam, non physicam: Et tamen, qui negant vim scientiæ theologicæ oblitæ, ex aliâ ab hac peregrinâ, ex physicæ naturalisq; regularitatis conditione, negationis fundamentum audebunt indagare:

Corpus verum, (speculantur) quod certâ symmetrica, certa quantitatē & commensuratione constat & finitur, naturali virtute & ratione simul ac semel in diversis haudquaquâ existet locis. Hoc scilicet rationis fundamentum est; hoc philosophicum affirmatum non perhorrescunt homines isti, ad ipsiusmet Dei corpus accommodare, parum attendentes, negotium sibi esse, non cum physicæ artis perito, sed cum summo omnium rerum tam cœlestium quam physicarum conditore & moderatore liberrimo. Etenim Dominus corporis sui realem asserturus præsentiam, non naturæ ordinem, sed os suum verax monstrat, voluntatem declarat. Et sanè, qui domino dicenti credimus, adeò ignari, adeoque stupidi & rerum physicarum rudes haberi nolumus, quin & nos axiomatum naturalium memores, idem de corpore physico differamus, idem loquamur: inquit enim & percipit nostra mens ista eadem: Sed hoc, hoc unicum pensi habemus, num animus ac conscientia nostra, regularitate φύσεως, quam Christi non nudi hominis sed Θεωλογίας verbo, sit tutior: Tranquillitatem mentis inquirimus. Placeat, displiceat: cedat physica regularitas, inconcussa maneat dicentis veritas: vel potius naturæ ipsi quid derogetur, dummodò hæc facta tecta habeatur. Neque enim quid ratio inferat, quid humana suggerat sapientia, hic attendamus: in hoc enim quis valet: ad aliud respectemus oportet. Sit exemplo: Creationem ex nihilo credimus: Ratio, ex nihilo nihil fieri concludit: Et tamen, non quid ratio, sed quod Dei verbum decernat, admittimus. Pari ratio-

ratione articuli omnes, & quod Dei verbum docet,
habent, & quod in iisdem ratio suo dictamine rege-
rit, sustinent, nec tamen verè Christianus huic sed
illi ut potiori, Dei voci, fidem habendam censet. Si
talis nobis esset Theologia, ut pari ubivis gradu &
Verbum & Ratio, salvâ fide, salvo Dei honore, con-
currerent, in hoc sanè articulo idem foret admitten-
dum. Cur itaque non potius id, quod tutius est,
amplexamur, rejecto hoc, quod ratio offert? Rem si
altius perpendamus, omnem de cœnæ genuino sen-
su errorem, ex hoc philosophantium axiomate ena-
tum deprehendemus: Quod contra proprii corpo-
ris modum talis sit præsentia. Ex hoc fonte, omnes
omnium contrariantium negationes proscaturiunt;
inde *ἀπειρία* & tropi quæsi, tot, tanti, tam varij, ut
nec inter ipsos omnes, in textu sat claro *ἀπειρίας* am-
plexos convenerit, quâ in oculâ sedem *ἀπειρίας* se-
curè figant: inde alia extra veram materiæ sedem ef-
fugia investigata: inde quod vel gratuitam in ver-
bo Spiritus sancti præsentiam, vel discessum Christi
visibilem denotat, huc accommodatum. Qui fons,
si primitus statim, divinæ veritatis laude, omnipoten-
tiæque honore fuisset obstructus, minus eò usque
licentiæ & in rebus divinis asserendæ temeritatis,
profani profanâ mente progredierentur. Cæterum,
veritate & omnipotentia Christo dicenti concessa,
singulas universasque, si quæ apparent, contrarieta-
tes simul & semel dissolveris, in nebulas discussis!
Cui jam parti adhærendum statuis, vel iudicio philo-
sophanti, vel variè circa idem negocium opinioni ab-

erranti? O homo, mentem explora, conscientiam tange, utrumque considera, num vel perspicuo Dei dicentis verbo, vel humanæ rationis dictamine, sis tutior, sis quietior futurus? Conscientia certè liberanda est. Evidens verbi veritas, quæ nullâ sophisticâ se labefactari patitur, nisi simul convellas præcipuum axioma nostræ religionis, suâ sponte ad obsequium te pertrahet. Permittant contrariantes, hac nos frui conscientiæ tranquillitate, quam Dei verbo tutius, quam vel extra id rationibus stabiliri sentimus. Quin potius illi & suam mentem inquirent, ut cum primis Deo consentiente & favente, de eo quod asserunt, sint certi & stabiles, ne stimulum aliquando obitreptentis sentiant conscientiæ. Haud referunt Rhetoricantium more, multa multo pondere & numero argumenta obtendere, integras centurias & legiones objectionum afferre: Unus siquidem apex verbi, majoris est momenti & roboris, quam innumeræ argumentorum myriades. Quod si tandem perpendant nobiscum, qui contra nos, haud ita nobis insultabunt, haud adeò fidem nostram, fidem vix quinque verborum, contemptim elevabunt.

Sic res, ejusque in Sacramento veritas demonstrata est, quæ sola credenti sufficit, sufficeretq;: atamen quia mens hominis (ut curiosa est) modum affirmati habere satagit, de modò tacitè disquirit: & istum dabimus. Qui sit expectas? En Omnipotentia Christi est majestas: non quod ex absoluta potentia ad voluntatem pueriliter provocemus: sed quia patefactam instituentis voluntatem clarè novimus,

mus, modum sapienti Domini potentiae ultrò concedimus.

At excipis, ita omnipotentem esse Deum, ut, ne contradictoriae implicentur, rebus creatis sua constet veritas: Corpus περιγραπτον circumscriptum quomodo, inquis, simul ac semel fuerit ἀπεριγραπτον? non circumscriptum? Fremant hinc physici, quiritentur Mathematici, conclament omnes, principia physices deleri, naturæ negari ordinem; ne tantillum efficient. Etenim non in Schola Euclidis, non in officina Archimædis controversia hæc vertitur, sed in Ecclesia Dei, quæ Spiritus sancti est Academia, in quâ alia, quæ sectemur, habemus theoremata, videlicet, πάντα τὰ θεῶ πλάσται, καὶ ἀνώτερον ἔδει. Deo omnia, sunt possibilis. Corruit igitur physica isthæc ἀπίδειξις & demonstratio. Quod si tamen contra omnipotentem Dei virtutem insurges, fieri haud posse, ut unum idemque corpus in diversis adsit locis: Quis te profanum & sacrilegum philosophum in Ecclesia Dei contra expressum Spiritus sancti testimonium, quo immensa conditori tribuitur potentia, garrientem & blasphemantem diutius audiat? Si fateris, posse fieri: nonne concidet præcipuum ἐπιστολῆς fundamentum? Rursum si negas, nonne manifesti convinceris Ethnicismi. Ad itaporem quis miretur, quod ex principio physico, ex ordine naturæ elementari, homo divina testimonia infringere ausit, cum in numerâ occurrant exempla quibus dominus inverterit, immutarit, represserit, impediverit, ac prorsus conturbaverit ordinem naturæ, quoties immensam
& ca-

& captum nostrum altissimè excedentem sapientiam
demonstrare, potentiamque declarare libuit, Quæso

Qui potuit Solis currus imbibere volantes,

Quiq; velut scopulos flumina stare facit.

Mortua qui vitæ caelesti corpora reddit,

Qui partum, intactâ virginitate, ciet.

Hic inquam, qui tam stupenda contra naturæ ordi-
nem, contra universam physicam operatus est, an-
non, si ut unum corpus vel plura loca occuparet, vel
plura corpora uno spatio continerentur, voluisset
efficere, nonne & hoc potuisset? Qui universum or-
dinem instituit, qui *ἡνίκας ἐννοίας* homini indidit, an
huic contra eas quicquam sit effectu *ἀδύνατον*?

Quorsum verò, excipies, hæc ad Christi corpus,
quod simile nostris eum habere, scriptura testis est?
Verissimum est, Christum fratribus per omnia simi-
lem factum esse: At verò, si secundum corporis na-
turam, nihil ultra possit, quam substantiales ferunt
proprietas; certè nec sanguis ipsius nos à peccatis
emundavit, nec in sanguine redemptionem justiciam-
que habebimus: quippe hæc sanguini naturali non
competunt. Quin tandem mecum percipis, verum
Christi corpus nostris esse simile, verâ carne, veris
ossibus, vero sanguine, imò animæ substantiâ: At
verò admirandis prærogativis, ineffabilibus pro-
prietatibus, singulari potentiâ & efficaciâ Christum
multò superiorem. Hominem homini similem vides
naturâ, substantiâ: sed tamen energeticis corporis ac-
tionibus, animiq; excellentijs differre. Ignoscet mihi
Christus, veniam dabit auditor: mala cum bonis,
impia

impia cum divinis comparo: non in totum: potentiam utrinq; considerandam propono:

Quod si vel Magicis suâ arte & Satanæ adjumento fretis concedamus, quod & miranda peperent, & sese, ubi libet, spectantibus reddant inconspicuos, quorum vera & naturalia nihilofecius credimus corpora: Christus dominus ac creaturarum conditor, tam erit impotens, ut nisi corpus sensui tuo circumscriptum, corpus palpabile exhibeat, ulterius nihil credatur effecturus! Videant homines isti, ne Satanæ plus, quam ipsi attribuunt creatori, cujus corpus tantâ majestate & gloriâ, tantâq; efficacia pollet, ut secundum eandem, nostra suo corpori glorioso conformia sit transfiguraturus.

Mechanici artifices sæpenumerò incredibilia nobis effecisse videntur: artificia homo videt, miratur, modum artifici relinquit. Cur ergò neq; nos, rem certam à Deo promissam & affirmatam fide acceptamus? Cur statim in hujus omnipotentis opere, modum (quem terreno artifici concedimus) investigare conamur? Summis cruciatibus digni erunt, qui omnium rerum opifici Deo, omnis sapientiæ largitori in suis operibus QUOMODO dicere audeant! Si verò ô homo, etiamnum (Quomodo) in controversiâ hac clamitas, hanc tuam imperitiam ego secutus, Quomodo mare, quomodo Iordanis iteterit, rogabo? Quomodo Dei æterni filius ex Maria genitrice, virginitate illæsâ, natus sit? quomodo infiniti finitum capax? Quomodo corpore suo Christus super aquas ambulârit, medius per hostes & in-

E

visibi-

visibilis transferit? quomodo è sepulcro, sigillo-mo-
numenti illæso resurrexerit, quomodo ad discipulos,
januis clausis transferit, quomodo super omnes cæ-
los ascenderit? Haud numeranda erunt, in quibus, si
quomodo quæras, universam scripturam evertas ne-
cessum est. Quod si ad regulas phycas, ad rerum
naturam & ordinem articulos fidei singulos exami-
nandos accommodaveris, omnes concident, totaq;
Theologia evertetur. Aliter proinde naturam Theo-
logus, aliter phycus considerat: Solem Domino
jubente, subituisse Christianus credit; phycus, vigo-
re proprio motum fuisse contendit. Quis fidei ac o-
bedientiæ foret locus, si quod Deus facere intendit,
ratio intelligat & comprehendat? Etenim, (Atha-
nasio teste) haud fides de re evidenti concepta; fides
dici poterit, sed fides est, quæ in impossibilitate pos-
sibilitatem, robur in imbecillitate, & in parvitate ma-
gnitudinem credit.

Cum DEUS operatur, non quæramus, Quomo-
do, sed operis sui viam ac scientiam ipsi soli conce-
damus. Demus DEUM aliquid posse, quod fatea-
mur nos investigare non posse: in talibus enim re-
bus, tota ratio facti est potentia facientis: intellectui
verò fides aditum aperit, infidelitas claudit. Ipse
dixit, Hoc est corpus meum, cujus verbi autoritas
major est, quam totius humani ingenij capacitas. Ut
scitè refert Augustinus. Hic tutò imitemur Abra-
ham patrem omnium credentium, mandato Iehovæ
de filio immolando, simplicitet obtemperantem, qui
in unico licet Isaaco, seminis promissionem sibi, ex
divi-

divino juramento factam esse sciret; nihilominus rem simpliciter statuit perendam, DEI intuitus veritatem in datâ promissione servandam, intuitus etiam Dei potentiam, quâ ex mortuis filium resuscitare poterat, nil scrutatus fuit ex ratione humanâ, sed modum totalem in promissione seminis servandâ, mandantis veritati & omnipotentia concessit. Sic tutò imitemur Mariam matrem Domini, quæ auditâ voce angeli: Tu virgo concipies in utero & filium paries: primitus quidem ex rationis iudicio cum annuncian- te agere annititur (ut iustè fit in rebus humanis) ro- gans: Quomodo sit paritura virgo! At angelus, vo- luntatis divinæ patefactionem exaggerat, ejusq; ra- tionem non ex humano iudicio & conjectura, sed ex Dei proponentis & volentis virtute & jussu, haurien- dam esse, graviter indicat: datâ hac thescoo proba- tione: Virtus altissimi, Spiritus S. efficiet. Convicta igitur & edocta de omnipotentia & veritate altissi- mi: dicenti tandem annuit & credidit fiducialiter. Econtra dum pius iute senior Zacharias, quòd verbo Angeli. conceptionem Ioannis Baptistæ annuncian- tis, solum confidere noluit, Sed in re obvia & natu- rali. modum indagare ausus fuit, reprehensione & pœna singulari haud caruit: adde: dum Thomas incredulus, Christi resurrectionem rationi dijudican- dam subicit, strenueq; nisi videat & apprehendat, se crediturum renuit, meritò reprehensus est; Quid: qui Christi pronunciatò diffidunt, in modum dis- quirunt, quam tandem illi reprehensionem & pœ- nam intolerabilem experientur!

Quod si neq; multarum rerum in naturâ causas plenè cognoscimus, utpotè admirandam memoriæ capacitatem haud dum percipimus, subtilem visionis modum necdum verè intelligimus: cur non potius mentis imbecillitatem & rationis cæcitatem deploramus, quam quòd cæco intellectui, divina Deoque soli cognita, imò Salvatoris corpus, quod contra omnem naturæ ordinem conceptum, quod Deo unitum, ex virgine natum, ex morte resuscitatum, quod in æternum regnum exaltatum est, legibus & ordini hujus mutabilis naturæ conemur subijcere? Quantum differat Christi *ἰεραθρώπις* corpus & nostra corpora, vide: Corpus Christi non est ita creatum, atque corpus Adami: non ita generatum, ut Abrahami, non ita est & solùm subsistit, ut Petri & Pauli: sed in *λόγῳ* & cum *λόγῳ* una est persona. O admirabile commercium, quod laudant angeli, adorant dominationes, tremunt potestates: longe diviniora huic competunt quam tibi: Siquidem Christi corpus ipsius Dei corpus est, Christi sanguis ipsius Dei sanguis est.

Cæterum prævideo, te pro omnipotentiâ excepturum, quam non æquè Christi humanæ carni concessam, quam divinæ majestati duntaxat propriam esse statues? Sed quorsum tandem effugia ista? Si omnipotentem illum credis, qui id corpus, quod in cœna præsens esse dicitur, proprium *απυχίτως καὶ ἀδιαιρέτως* sine omne confusione, conversione & divisione in hypostasin assumpsit, cur minus, quod de suo corpore promisit, præstare jam posse concedis? Habe-

Habemus enim dominum potentio-
rem omni lege
corporum, ait Tertullianus. Et quanquam verbum
caro factum est, operatur tamen ut Deus cum sua car-
ne, quæ per illud habet virtutem, Cyrillo referente.

At vociferantur hæsitantes de Christi omnipo-
tentiâ: Christum hominem creata saltem ac finita
habere dona; capacem verò atq; participem æternæ
& infinitæ omnipotentæ DEI factum esse nunquam,
nec fieri in æternum. Proh DEUM immortalem, tan-
tas blasphemias hominis subire mentem, miramur,
perhorrescimus! Haudquaquam Christo in carne
sua, dona creata, habitualiter ac formaliter (ut cum
Scholasticis loqui fas sit) inhærentia detrahimus,
quæ tamen & ipsa omnium creaturarum, Angelo-
rum & hominum dona ac virtutes longissimè ante-
eunt & multis post se parasangis relinquunt. Cæ-
teroqui scriptura, ultra hæc Christo homini longè al-
liud in tempore datum esse commonstrat, quod non
finitum sed infinitum, non circumscriptum sed in-
circumscriptum, non temporale sed æternum, non
creatum sed increatum, non mensuratum, sed omnis
mensuræ expers, non locale sed illocale, non creatu-
ris competens, sed quod creatoris proprium sit: Hic
certè non rationi humanæ, quæ stulticia coram Deo
est, obsequimur, non philosophica aut physica axio-
mata, non regulas mathematicas, aut geometricas
demonstrationes consulimus, non quid Plato aut A-
ristoteles perhibeant, non quid inflati persuasione
singularis scientiæ homines excogitent, non quid
autoritate turgidi sentiant, nec quid turba communi-

ter statuat, & quibus vel applaudit vel contradicat, audimus: sed ori ac voci Christi & Apostolorum astipulamur. In Christo, ait Paulus, habitat omnis plenitudo divinitatis *σωματικῶς*, sive, ut Orthodoxa Ecclesia interpretatur, personaliter in carne ejus. Audiant propter gloriam DEI & salutem pij omnes: Quid est divinitas? annon ipsa Deitas, divinaque & æterna natura, sive, ut de filio loquamur, ipse *ὁ υἱός*. At quid est plenitudo divinitatis? annon omnipotentia, æterna sapientia, Dei scientia, gloria, majestas, præsentia, & quicquid DEUS est. Ubi plenitudo isthæc residet & habitat? Annon in carne Christi, sive in corpore ejus, & quidem non ad partem, sed tota, sive *πάντ ὡς ἑρῶμα* omnis plenitudo? Quid hic excluditur, quid excipitur, quod non sit in Christo homine? Nonnè apertè scriptura affirmat: Filium hominis æternam accepisse potestatem: unctum esse præ confortibus sine mensurâ: datam ei esse omnem potestatem, omnem potentiam, omnem auctoritatem sive omnipotentiam & omnem gubernationem in cælo & in terrâ: omnia, omnia ei esse subjecta. Hic per DEUM quæso immortalem, cum Christo omnia, cum nihil ommissum, quin sit subjectum, an finitum sit, an creatum perpende: quorsum mediam potentiam somnare attinet? Si omnia; cur, obsecro loca exciperemus? quæ simul omnia supera & infera Christus homo sibi subjecta habet, aded ut ipse non sit, (ratione eâ, quâ ad dextram Dei sedet) subjectus, comprehensus aut contentus locis, sed potius sit CONTINENS locorum omnium? I nunc, &
itud

Itud corrige, qui nec universa Dei potentia (horrendum) Christi corpus praesens dari posse, blasphemanter asseris! cum hoc, ut ais, ex illorum sit genere, ad quaë DEI potentia se non extendat! Filius hominis ad dextram Dei confedit: ubi dextram monstrabis? In excelsis, in certo caeli empyrei loco, respondes. Mirum est, tam acutos & plusquam lynceos philosophos, qui τὸν Θεὸν γεωμετροῦσι, tam inepte & inerudite de loco philosophari! cum extra universum mundi ambitum, & supra omnes caelos, nec locum, nec tempus esse, nec vacuum, ullas philosophotam dixerit unquam. Viæ meæ, inquit DEUS, non sunt, sicut viæ vestrae. Nimis igitur inepte exorbitant Geometraë isti, cum extra limites orbis, Christo sedem sculpunt, eumq; certo & quidem circumscripto, ne videlicet nimis late diffandatur ejus corpus, loco inclusum ad Dextram DEI in caelo sedere, effingunt ac specularunt. Quanto verò rectius, Sessio ad dextram Dei, de æternâ & divinâ majestate & æquali potentia intelligatur, interpret dignus & locuples est D. Paulus, qui in sua ad Ephesios Epistola, hunc articulum enarrat: Suscitans eum à mortuis, collocavit eum ad dextram suam in caelestibus, super omnem principatum & potestatem & dominationem super omne nomen, etiam omnia subjecit pedibus ejus. Iudicet hic Christianus, annon hoc articuli dogmate, Zvinglij & Calvini delirium corruat, quod indè stabilire conabantur? Sic ex quo tela contra nos depromere statuebant, ex eodem subministratum telum in illos retorquemus. Proindè quam
faci

facile illud, de visibili Christi in caelos ascensu, oppositum concidat, vides: Absentia localis, non tollit praesentiam personalem, nec tollit praesentiam in coena sacramentalem. Etenim si Christi corpus extra locum sit subveſtum, tantaq; majestate & claritate ornatam, ut cum Deo dominetur, quid mirum est, si divino modo, & in caelo, & in sacra coena, in quibuscunq; illa locis celebretur, adsit praesens? Notum est illud Prophetae: Coelum & terram ego impleo, dicit dominus: Ubi igitur dextram monstrabis? Manifestissime vides, dextram DEI non certum caeli spatium, non circumscriptum locum, sed immensam infinitamq; potentiam denotare. O homo, paululum hic subilite: Dextram DEI demetiri ac delineare conaris, nec, quanta qualisque gloria & dignitas futurae vitae beatis continget, attestante Paulo, primo sensu comprehendis; sicut scriptum est, quae oculus non vidit, nec auris audivit, nec in mentem hominis venerunt, quae paravit DEUS ijs, qui diligunt ipsam. Iam si felicitatem, vitaeq; caelestis excellentiam, cujus nos ex Christi promerentis gratia participes reddemur, haud capimus, qua quaeſto cogitatione, quo sensu Dextram DEI, quaeve mensuram sessionem Christi ad illam quis indagabit aut comprehendet? Quin tandem acquiescis, sublimiora Deo committis: patefacta apprehendis & credis, potentiam Dei incomprehensibilem admiraris!

Hic sine dubio interfabitur Calvinista: an existimes, inquit, Corpus Christi alterum esse infinitum, infinitum alterum esse divinitatem? cave extensionem

nem expansionemve statuas? Haudquaquam talem
Corporis Christi per omnes naturæ partes extensi
præsentiam statuimus, qualem ille: Mens agitat mo-
lem & magno se corpore miscet: Abhorremus: imò
nec de DEO sic cogitare fas est, si Augustino creda-
mus, qui præsentem illum esse ait, non ut sit quali-
tas mundi, sed substantia creatrix mundi: non ta-
men per spacia locorum quasi mole diffusa, ita ut in
dimidio mundi corpore sit dimidius DEUS, & in al-
io dimidio dimidius, atq; ita per totum totus; sed in
solo cœlo totus & in sola terrâ totus, & in cœlo
& in terra totus, solus & nullo contentus loco,
sed in seipso ubique totus. (Hujus præsentia modum
quis comprehendet?) ita Christi corpus, in quo di-
vinitas habitat *σωματικῶς*, totum esse affirmo, in quo-
cunq; id versatur loco. Nonne Christus DEUS
& homo est? *λόγος* enim *αὐτὸς ἐγένετο*, Verbum ca-
ro factum est; nonnè humana Christi caro in Deum,
qui nec loco subjacet, nec loco ambitur, evecta ac
personaliter assumpta est? Quomodo jam, ut gravi-
ter enunciat D. Lutherus, possibile sit, ut alibi sit
DEUS, ubi non sit homo; & quomodo sine divulsio-
ne personæ fieri possit, ut hîc sit DEUS absq; humani-
tate, illîc verò cum humanitate, Si Deus & homo una
persona est, & hæ duæ naturæ sic sibi invicem con-
junctæ, ut arctius coeant, quam corpus & anima:
certè Christus ibi homo quoque erit, ubi Deus est: Si
in uno loco est DEUS & homo, cur non etiam in se-
cundo loco Deus ac homo esset? Si in secundo loco,
Homo ac DEUS est, cur non etiam in tertio, quarto,
F
quin-

quinto, & sic consequenter in omnibus locis? Sin
verò tertius, quartus, quintus locus non patiuntur
ipsum simul hominem ac DEum esse: tum neq; pri-
mus unicus ille locus hoc admittet, ut sit simul Ho-
mo ac DEus. Si enim loca locorumq; spacia possunt
personam dividere: non minus primus & unus ille
locus id faciet, quam cæteri omnes. Sed quam piè
& sobrie de hoc sit cogitandum, monet sanctè, qui
ait: Videte, ne corporalis imaginatio vos ludat, loca
multiplicans, spacia distendens. Neq; hîc locorum
multiplicatio, neq; spaciolorum distentio intelligitur,
sed plenitudo sine loco, supra locum omnem, infra
locum omnem, extra & intra locum omnem, sine
spacio, supra & infra omne spacium. Quia enim
caro Christi est una indivisa cum Deo persona; ubi
Deus est, ibi ipse quoq; (Christus) sit oportet, nisi fi-
dem nostram falsam esse dixeris. Quorsum igitur
intempertivum illud objectum; Si, ubi ubi divinitas
καὶ λόγος est, caro Christi nullibi absit, tequetur eam
in omnibus esse creaturis, in lapide, in grano, in plan-
tis? Nonnè quæso, æquè de divina sacrosanctæ
Triados essentiâ, quæ Prophetâ teste, cœlum & ter-
ram implet, inquirere, & ἀθεον & absurdum foret?
Neque verò Carnis Dominicæ substantiam, quoad
se, in divinitatem disparuisse, cum Eutythere somnia-
mus, cui proprium finitumq; existendi modum haud-
quaquam detrahimus: sed ex unione arctissimâ, &
selsione ad dextram patris divinissimâ, mirandum
prorsus ac ineffabilem præsentia modum piè meti-
mur, sobrieq; consideramus. Etenim, verum Christi
cor

corpus in unione non in locum, sed in purissimam
verbi unigeniti hypostasim assumptum esse, edocemur,
in quâ nulla saltem loca cogitantur, utpote quæ
ab omni æternitate fuit extra locum, nec postquam
locus creatus est, cæpit unquam eo contineri. Illocalis
hypostasis verbi, terminus factus est, in quem Sal-
vatoris assumpta est humanitas: Quinimò & Dextra
Dei, thronus ille, in quem Christus homo exaltatus
est, verè est illocalis. Utiq; & vi unionis, & unionem
subsecutæ sessionis in omnipræsentis throno, qui est
Dextra Dei, transcendit natura humana, atq; sic cor-
pus Christi, loca ad unum omnia: & hoc respectu
non continetur aut circumscribitur locis, sed potius
continet, comprehendit, finit & circumscribit loca
cùm universa tñm cunctas quoq; creaturas, ut ortho-
doxè Megalander Lutherus asserit. Mirandum hoc
scripturisq; consonum, si non assequeris, cur nō potius
veneraris, exoscularis, quam quod æterni Filij Dei
majestatem mensurare & oppugnare conaris? Pru-
denter Casianus; Ego, inquit, disiungere à corpore
suo Dominum non didici: & divellere à seipso Do-
minum meum nescio: inferere sacrilegas opiniones
inter Iesum & Deum nolo: faceffe à me, quisquis di-
versa sentis, quisquis diversa loqueris: Solvit Iesum,
qui Deum ab homine distinguit. Rectius ergò cum
Gelasio colligimus: Unus Christus non est, si integer
non est: quia altero sublato, unde integer approba-
tur, dimidius videtur esse, non integer: & sic unus
non est, sicut integer non est: & sicut integer non est,
sic verus non est: falsus proindè apud Hæreticos
Christus esse convincitur.

Alt pergunt inire contra nos, quod articulos
confundamus, diversa jungamus, & ad *παρουσία*
ac realem praesentiam in coena itabilendam, ab om-
nipraesentia Christi personali concludamus: Re-
spondetur; & nos distincta haec esse religionis ca-
pita novimus: distincta & praesentia personalis à Sa-
cramentali, ita tamen, ut prior posterioris sit funda-
mentum, & posterior à priore connectatur & depen-
deat. Verum itidem confitemur, non aliunde cau-
sam praesentiae in coena esse inquirendam, nisi ex pa-
refacta institutione, praeter quam nec ulla alia data
est, nec dabitur unquam. Quam voluntate rite co-
gnita, pii quis sibi satisfieri patiuntur, nec opero-
riorem requirunt probationem: nec aliam quaerivif-
sent, aut etiamnum quaerent, modo per intempe-
riam adversantium licuisset priusquam tranquillita-
tem retinere. Sed inde factum est, quod ad personae
dicentis majestatem ac potentiam confugimus. Ete-
nim nisi hoc corpus, quod in coena datur, esset ipsius
Filii Dei corpus, unitum cum vivificante *αγω*, quomo-
do, obsecro, caro illa possit in Eucharistia esse praes-
ens & cibus vivificus? Et vanus ille, si qui oritur,
nulliusque momenti metus est, neque Sacramenti my-
sterio competens: quod si panis & corpus, vinum
& sanguis, una eademque actione distribuuntur, ut
quod accidat pani, statim & corpori: quia ille gutta-
tur, dentibus conteritur, ita & corpus: abicit Ca-
pernaitica crassities. Modum unionis modus man-
dicationis comitatur: sed quia mysticus est ille, erit
& hic. Res caelestis, res terrestris, quas Irenaeus ita
vocal

vocat, distribuantur simul, sumuntur verè: illa *ὅτι*
φίσι, hâc mediante: hâc *πρώτως* ac naturaliter,
Nec, quia plures accedunt, plura exhibeantur cor-
pora: Ab isto hoc: Nec confitemur carnem Christi,
fratulatim in particulas à manducantibus lanionum
atq; cyclosum initar concidi & discerpi, sed totum
& integrum Christi corpus ab omnibus & singulis
communicantibus, modo arcano & incomprehen-
sibili, ore nostro corporeo percipi, juxta veterem Se-
quentiam, in qua hæc verba noventur:

A sumente non concisus,

Non confractus, nec divisus.

Integer accipitur,

Sumit unus, sumunt mille,

Tantum isti, quantum ille,

Nec sumptus, absuntur.

Sumunt boni, sumunt mali,

Sorte tamen inaequali,

Vita vel interitus.

Fracto demũ Sacramento,

Ne vacilles, sed memento,

Tantũ esse sub fragmento,

Quantum toto tegitur.

Nulla rei fit sciscura, &c.

Nonne, si advertis, una lux plurium pascens oculos,
tanta manet, quanta erat? Nonne una vox plurium
implet aures, semel licet prolata? Sic Hieronymo
teste, singuli accipiunt Christum dominum, & in sin-
gulis portionibus totus est, nec per singulos minui-
tur, sed integrum se præbet singulis. Non enim de-
ficit, qui nos reficit, inquit Augustinus.

At obijcient ulterius contrariantes: In creden-
do & affirmando, nimium nos esse liberales. Sanè
si nos assensu faciles de Christo, præterquam quod
intenderit, plus magisve statueremus (absit, ut du-
bitemus: age paulisper concedamus) viam tamen
excusationis faciliorem, quam qui verbis simplicibus

F 3.

detra

detrahunt, nos inventuros esse confideremus: Sim-
plicitas siquidem, & si qua esse possit, nimia fides,
veniam liberaliorem, quam temeraria depravatio
meretur. Et si decepti sumus, ejus fallaciæ causam
in Christum dicentem retorquere licebit. Homines
si quâ autoritate valent, plus quandoque & excel-
lentiùs sibi attribui patiuntur, quam quod forsan
præstent: interim suæ dignitatis ac majestatis defrau-
datoribus succensent. Neque verò (quod absit)
Christo veraci stolidam mundi vanitatem attribua-
mus: nos aspicio & confidero, benè colligens: Sim-
plicem fidem veniam mereri: contrà, superbam de-
pravationem & temeritatem odiosam esse.

Iam tandem, ô homo, utri sis atipulaturus, vel
rationi contrarium suggerenti, vel Domino dicenti,
jam tandem, quæso, perpende: neutralem hîc esse,
non expedit. Alterutram partem elige, mentem in-
quire, quânam basi sistitur, quo fundamento fir-
mior? Cæterum ridebunt hîc, quorum mens *απειρα*
opinionî immerfa est, qui, dum admirandum Eucha-
ristiæ mysterium de verâ veri corporis & sanguinis
Dominici præsentia indagare, alijsque planum red-
dere satagunt, ad rationem ejusque dictantis admi-
nicula confugiunt, statuentes, suum quidem verbis
Christi Eucharisticis concedi nervum ac veritatem,
veruntamen vero physicæ regularitatis ordine con-
sideratò, alia subsidia esse inquirenda, ut aliquo tan-
dem modo, Christi promisso tuus relinquatur honos
ac locus. Contemplantur Christi ut veri hominis
naturam, contemplantur mundi ejusq; locorum sta-
tum

tum, contemplantur denique mortalium hominum conditionem: & tamen Christum Dei filium, corporis sui praesentiam comedentibus promississe, ex coenae dominicae verbis intelligunt. Singula accuratè examinant, rationis iudicium ubi consulunt, eandem offendunt: & tamen Christum promissi sui servantem ornare & salvare cupiunt. Verè quidem & veraciter affirmare Christum corporis sui praesentiam potuisse, ratio perpendit; sed non in terris mortalium, ita iam suggerit: siquidem naturalis conditio id minime ferat. Inquirendum igitur esse aliud medium, ne vel hominis Christi natura destruat, nec mundi locus immutetur.

Quò tandem ergò? In percipientium conditione, rem totam positam esse concludunt, sapienter asserentes, haud adeò usq; tam operosa, eaque minus necessaria in his terris praesentiae probatione opus esse: facilius fide à signis externis se avertente supraque caelos evolante, negotium totum effici, quam multis multa probari. En callidum consilium! (sed & hujus invalidae assertionis jam jam dabitur infirmitas,) Advertunt scilicet homines tam manifestam tamque nobili evidentiâ verborum institutionis contricti, aliquam tandem veri corporis & sanguinis domini praesentiam concedendam esse, quam ut ne in terra reale concedant, ad utratam de fide supra caelos evolante assertionem, velut ad sacram anchoram subterfugiunt, fide animisq; credentium supra aspectabiles caelos ascendentes, verumque illic ac substantialiter praesens corpus comprehendentes, praesentem

sentiam definiētes. Verūm, an id arbitris etiā philo-
sophis, quos præceptores sequuntur, fieri posse
concedatur, operæ precium est, ut paulò altius ac bre-
viter dispiciamus, certò affirmaturi, illud de fide
subvolante paradoxon, quod ceu *ἀιτιμα* indubita-
tum quidam proferunt, nec à puriore philosophiā,
nec divinā Theologiā fuisse cognitum & accepta-
tum unquam.

In homine corpus est & membra corporis, exter-
na scilicet animæ instrumenta. Sunt etiā præter
alia animæ organa in primis spiritus illi, qui è purissi-
mo sanguine in corde & cerebro generati, per arte-
rias & nervos in totum corpus sparguntur, quorum
ministerio, anima vitam & calorem, sensum & mo-
tum membris corporis sufficit. Est præterea summa
vis animæ, quæ mens nuncupatur seu potentia ratio-
nalis, quæ cogitat, deliberat, quæ alia ex alijs ratio-
cinando colligit, numerat dijudicat, &c. Quæ actio-
nes dicuntur inorganicæ. Cæterum in potentiā isthac
rationali, vel in mente, vel in illis ipsis cerebri spiri-
tibus existit fides historica: existit illic, ut in subjecto,
fides salvifica à Spiritu Sancto illuminante accensa.
Unde pulchrè Philippus Melanchthon, admirabile
esse, ait, quod his ipsis spiritibus, in hominibus pijs
miscetur divinus spiritus, eosq; divinā luce reddat
illustriores: Cui sententiæ D. Paulus in sua ad Roma-
nos epistola suffragatur, dum Spiritum Sanctum ipi-
ritui nostro testimonium dare, piè affirmat. Hoc fun-
damento posito, quicquid operatur aut agit homo,
id omne agit, non foris procùl, extra corpus aut ani-
mam

nam, sed intra ipsam suam essentiam. Sensus enim communis, phantasia, memoria, imaginatio nihil foris operantur, sed intra sese rerum species ministerio sensuum exteriorum allatas suscipiunt & recondunt. Sic cogitationis, iudicii, deliberationis, opinionis, numerationis, intellectus, scientiæ, noticiæ, ratiocinationis actus omnis non extra, sed intra mentem perficitur, in omnibus istis, quæ mens vel naturâ novit, vel à sensibus nunciata intra se recipit. Hoc quoniam certissimum, planum evadet, ut, sicut mentis actiones intra mentem perfici, philosophi concedunt, ita quoque noticiam fidei historicæ, tum assensum tum fiduciam esse actionem mentis, in eâque residere fateantur. Fit enim ista imaginatio vel cogitatio tantum in mente, vel in spiritibus cerebri, nec extra mentem vel cerebrum egreditur, ut foris alicubi in aere vagetur, & rem cogitatam apprehendat, sed hæret & manet in cerebro, ibique rei cogitatæ imaginem aspicit, quæ spiritibus cerebri fuit impressa. Hinc fides, quod actus credendi sit, qui non extra sed intra mentis conceptum perficiatur, facile quis percipit. Consentientibus siquidem omnium recte iudicantium testimonijs confirmamur, rem loco absentem in ipsâ suâ substantiâ nequaquam adesse, nec ullo modo adesse posse, sive cognitioni mentis, sive affectibus cordis, sive fidei historicæ, sive salvificæ fiduciæ, sed adesse tantum ipsius imaginem pictam in spiritibus cerebri, cordi obversantem. Decipiunt igitur manifestè semetipsos & alios, præsentiam sibi pollicentes, ex mentis actu & operatione, quæ omni-

G nò nul-

nò nulla eit. Et ratione hac in suâ, qui hoc affirmant, cœnâ dominicâ, non nisi nudam habebunt imaginem absentis corporis, pictam in mentibus communicantium. Vacua proinde ac nuda signa relinquunt. Si enim res absens cognitioni cordis non aliter adest, nisi in imagine, (concedente quovis sano) quæ ratio probabit, eandem adesse cordis appetitui siue fiducia, in ipsâ verâ suâ substantiâ, aut mentis cogitatum ad rem absentem posse penetrare? Tale figmentum ignorat philosophia, ignorat verbum Dei, ignorant verba institutionis: hæc non fidem solam, percipiendi corporis Christi medium constituunt, verum edendo, bibendo, (quæ non nisi hîc in cœnâ peraguntur) corporis præsentis ineffabilem fieri communionem testantur.

Ac sanè, ut paulisper fidei, quòd ad astra evolet, subscribamus, posito hoc: Dominum non nisi uno cœli spacio contineri; inquirere libet, ubinam cœlorum Christus sit inveniendus? quis locum sit monstraturus? Quis, ad quam cœli plagam cogitationes fidei volantis sint dirigendæ, definiturus? num ad orientem, siue ad occidentem, siue ad septentrionalem plagam, siue ad meridiem, ne fortè animus cogitatione sua, ab eo loco, ubi Christus sit, aberret, & sic etiam quæsito ibi bono defrauderetur? Quid si Antipodes jubebuntur Christum supra se apprehendere, ubinam cœlorum invenient? Alij Christum quærent infra se, alij dextrorsum, alij sinistrorsum, alij antè, alij postè, & tamen circumvolitando nihil efficient, præterquam, quod cum Icaro! & Phæ

Phaëtonte turpiter decidant & collabantur. At
dicent: Christum ad nutum fidei, quamprimum ean-
dem & cœli spatium levatam esse sentiat, statim præ-
tito adesse. Ignoscant quæso, si audiant, quid sequa-
tur. Etenim, si uno eodemque momento, plurimi di-
versarum regionum, remotissimorum locorum ho-
mines, fidem suam sursum levabunt in cœlum, carnem
Christi quæsituri: Christus verò nullibi nisi uno in
loco hæreat, aderit his, verbi gratiâ, solis orientali-
bus: istis autem, puta occidentalibus eodem momen-
to non aderit: aut quia Orientales & Occidentales
sunt Antipodes; Occidentales si tum carnem Christi
habere volent, non fidem sursum ad sui meridiani le-
vabunt verticem, sed eam deorsum demittent, ad ver-
ticem scilicet orientalium. Aut certè, si necessariò,
quod Sacramentarijs placet, ad Pauli exhortationem,
Christi corpus sursum sit quærendam, & tamen Chri-
stus omnibus vacare & adesse velit, (promisit certè)
perpetuo, eoque miserrimo & molestissimo discursu
fatigabitur, ac nihil aliud aget, nisi discurret, & multo
quidem celerius, quam visus humanus ab oriente re-
flexus ad occidentem celeriter penetrat. Hæc si Sa-
cramentarijs ipsis videntur esse ridicula & putida, a-
gnoscant quæso totius rationis suæ imbecillitatem,
deq; ejus veritate, si volent, incipiant non nihil nobis-
cum dubitate, abitineant porro parcius ista nobis oc-
cinere & inculcare, videant tandem à clârissimis Filij
Dei testatoris verbis recedere, quam lubricum quam-
que sit periculosum. Haud ita nobis in re tam seriâ
fumos vendant, pro thesauro carbones obijciant,

haud adeò nos totius omnino Philosophiæ ignaros
arbitrentur, ut quale illud, de fide supra cœlos evo-
lante, affirmatum sit, nesciamus. Quamdiu anima
cum suo conjuncta est corpore, quilibet cogitatio
nis judicij, intellectus, scientiæ, ratiocinationis actus,
non extra, sed intra mentem perficitur. Quorum sin-
gularum mens est receptaculum, quæ intra sese re-
rum species, sensuum exteriorum ministerio allatas
suscipit & recondit. Et rei cujuscunq; individuæ ab-
sentis imago, non nisi mente, ejusq; actu formata in-
trinsecus permanet. Hominem absentem ac notum
si nominas, de eo si cogitas, mens ejusdem in spiri-
tibus cerebri format imaginem, quæ ipsa non extra ce-
rebrum usque ad cogitatum individuum vagatur (suo
enim subiecto aut inhæret, aut esse definit) sed spiri-
tibus cerebri manet impressa.

Nullius proinde momenti ac invalida erit asser-
tio fidem, quamvis sit in mente, posse tamen etiam
extra mentem operari. Nihil enim corpulentia ha-
bet, ut Augustinus inquit, quasi radices fidei fixæ
sint in corde, rami verò spargantur & ascendant in
ipsum usq; cœlum. Quid eo pauidius cogitatu? Nisi
volemus fidem ceu DEum facere, quæ ut Deus ubiq;
totus est, sic ipsa etiam ubiq; tota sit, in corde, in cœ-
lo, in terra, in aère. Apage isto lusu. Fides cum toto
suo effectu nihil aliud est, quam credere, seu rem cre-
ditam comprehendere; quod ipsum totum tantum
est in mente, in corde, in voluntate, vel ipsis Sacra-
mentarijs concedentibus. Et licet, quod conceda-
tur, modò dicta adeò falsa non sint, sed relinquantur
tur

tur dubia, quæ obsecro fatuitas foret, ex incertis mentis conceptibus, de divino ac arduo cœnæ mysterio velle judicare.?

Neque verò, si quid scriptura de anima elevanda, cordibus fursam ferendis dicit, quicquam patrociniæ assertioni subvolantium præbet: haud enim sic levatur cor, quomodo levatur corpus: corpus ut levetur, locum mutat, cor ut elevetur, voluntatem mutat, Augustino affirmante. In quid igitur elevantur? Hoc est, in spem, fidem & charitatem, per sanctificationem, ut Hieronymus respondet: Gradus effectus sunt, iter tuum voluntas tua est: amando ascendis, negligendo descendis: Stans in terrâ, in cœlo es, si diligas DEUM. Proindè cum spem ac fidem in altissimi amore innutrimus, animam elevamus. Haud opus erit laborioso ad cœlos evolatu: sic namq; fidei cogitationes ipsomet Christo forent potentiores: quippe, qui cum adeò sit impotens, ut quam primâ fronte verba Testamenti præsentiam pollicentur, universa vi ac potentiâ suâ nequeat præitare, salva corporis sui veritate, potius fidei phantasia eidem ad thronum usq; dextræ Dei succurrat, ut quia ille minime ad nos, hæc potius ad eum conscendat. O imbecillum Christum! hæc si vera sient: Sed quia Christum omni lege naturæ potentiolem credere scriptura jubet, ô hominem pervicacem, omnipotenti Christo phantasma mentis præferentem! Quin potius, ad nostram, Christus ac Spiritus Sanctus sese accommodant infirmitatem, nostræ succurrunt menti, ut ne illa ascendat, Christus in cordibus nostris habitet; Spi-


us Sanctus Spiritui ac menti nostræ testimonium dei gratiæ Dei, cordaque nostra ceu templa inhabitet. sic neque D Pauli sermo, qui corpore absens, spiritum præsentem se Corinthiis ac Colossensibus adfuisse affirmat, fidei evolanti, stabilimenti quicquam præbet. Haud adèd Paulus physici ignarus fuit, ut humanæ mentis conditionem oblitus, spiritum sine corpore ad loca corporalia rapi posse crediderit! (Verum esse novit, nihil rerum exterarum esse in intellectu, quin fuerit in sensu) Quod si è mente foràs quid misisset, quod longè ex cerebro, Corinthi vel Colossis versaretur, res illic gestas vidisset ac observasset; quorsum diceret, per familiam Chloës ac Epaphram sibi fuisse significatum? Et si quam gratiam Spiritus sancti revelantis singularem cum Prophetis & Apostolis habuit, quid ad probandam de fidei subvolatu opinionem conducet, cum revelationes istæ iam fieri desierint, nec nos de ipsidem expressam habeamus verbi promissionem? Et tamen ipse Paulus, cum in tertium usq; cœlum raptus, & quod vidit, quod eiam se scire confirmat, propriè vidisset, non imaginaliter, tantâ tamen animi modestiâ fuit, ut pulchrè Theophilaetus ait, ut diceret, se nescire an in corpore fuerit, an extra corpus: Sacramentarij verò, cum in administratione cœnæ dominicæ nunquam *ἐκστῆναι* aliquâ passî sint, nec unquam in tertium cœlum rapti, tamen fidem extra corpus egredi, & procul à nobis in cœlo Christi corpus apprehendere, confidenter affirmant. Proinde quod volent, credant: certè tam admirabili hoc de fidei supra cœlos evolatu, dogmate, ne tantum


lum


lum nobis persuadebunt, ut propterea à certâ & manifesta verborum institutionis sententiâ desectentes, ad hominum commenta convertamur. Et sanè, ut omnia summatim complectar; Promissionis veritate, atq; efficiendi majestate Christo dicenti concessâ, singulas si quæ apparent, contrarietates simul & semel dissolverimus, in nebulas discusserimus.


Jam tandem ô homo Christiane, in timore Domini, reverenter ac sollicitè tecum perpende: Utri parti, huic an illi tutior adhaereas? Sanè perspicuis clarisq; Christi verbis unicè assentiendum, unicè obtemperandum judico, ne in summos Doctrinæ articulos temeritatem delignes, inq; æternam Judicis Christi incurras indignationem: neq; si neges, Filium DEI in testamento sat claro, mendacij arguas: aut, si nullâ ejusdem potentiâ (saluâ corporis substantiâ) præstari posse, frivolè asseras, caveo, ne extra scripturam vageris; ne in infinitum Domini omnipotentiam ac incomprehensibilem humanæ naturæ in Christo exaltationem, cui excepto patre, omnia sunt subjecta; temerarius & contumeliosus inveniaris! O DEUS Sancte & omnipotens, securam tribue mentibus pacem, firmamq; tranquillitatem, siquidem


*Corpore Christe tuo, & de sacro sanguine lis est,
Deq; modo lis est, non habitura modum.
Hanc licet præsens, nec postera solverit ætas,
Ergo pie adventu solvito CHRISTE tuo.*

























the scale towards document

rsuadebunt, ut propterea à certâ & ma-
rum institutionis sententiâ desectentes,
a commenta convertamur. Et sanè, ut o-
tim complectar; Promissionis veritate,
di majestate Christo dicenti concessâ, sin-
apparent, contrarietates simul & semel
as, in nebulas discufferimus.

dem ô homo Christiane, in timore Do-
nter ac sollicitè tecum perpende: Utri
an illi tutior adhæreas? Sanè perspicuis
sti verbis unicè assentiendum, unicè ob
im judico, ne in summos Doctrinæ arti-
tatem designes, inq; æternam Judicis
rras indignationem: neq; si neges, Filium
mento fat-claro, mendacij arguas: aut, si
m potentiâ (saluâ corporis subitantiâ)
te, frivolè afferas, caveto, ne extra scri-
eris, ne in infinitum Domini omnipoten-
comprehensibilem humanæ naturæ in-
tationem, cui excepto patre, omnia sunt
nerarius & contumeliosus inveniaris! O
ste & omnipotens, securam tribue men-
, firmamq; tranquillitatem, siquidem

*Christe tuo, & de sacro sanguine lis est,
modo lis est, non habitura modum.
em presens, nec postera solverit atas,
opie adventu solvito CHRISTE tuo.*

